

capitula. Scriptis ergo et notatis per eum capitulois ipsis, in unum convenimus ut ea que notaverat viderentur, et quum plura non utilia set contraria pocius vestris agendis, quum talis unio compleri et firmari deberet, in ipsis capitulois notabantur, que partes in unione non reddidissent equales, improvvide factum esse videbar si tacitus transisset et contentassem ea que posuerat in scriptura.

Unde, verbis probabilibus et rationibus opportunis, multis inconveniencieis obviam in ipsis capitulois positis, que ab illis dempte et amote fuerunt. Idque principaliter ego feci ut aperte sentirem quid ultimum vellet Rex ipse in unione predicta, utque Vestra Serenitas velit an nolit ligam et unionem cum illo, senciat voluntatem immutabilem eius Regis.

Posuit ergo Vicecomes predictus ipsa capitula in formam quam videbitis notatam, dixitque ultimo quod quum hec placerent Vestro Dominio Rex contentaret per eum modum unionem et ligam; si autem secus quam scriptum est vellet Vestra Serenitas, Rex ipse non declinaret ab illa.

Dixitque ultra hoc quod necessarium erat, quia tempus instabat, si unio et liga esse debebant, quod completeretur et fieret expedite, nam cum vicinum sit tempus vernis necessario convenit quod parentur triginta galee et omnia que sunt pro illis necessaria, et quod de hinc per cambium vel per alium modum mitteretur pecunia que contingere partem vestram.

Verum cum, pro commissione mea, astringar scribere vobis meum consilium in tanto negocio, video quod de novis illarum partium et de conditionibus guerre vestre informationem aut quid certum non habeo, et propterea consulte nescio quid vobis scribere possim.

Spero in Eum quo vera salus cunctorum est, quod vera sencientes nova et condiciones guerre vestre et inimicorum vestrorum in hiis agendis, utilius et magis salubre consilium elgetis. Unum tamen scribere non dimitto, quia et Rex et Vicecomes predictus in isto tractatu semper utuntur hoc sermone: quod ipse non habet guerram cum Januensibus set in tregua cum eis, et cum vos inceperitis guerram cum illis causa vestre guerre contra illos aggreditur, et dicit quod Januenses habent suum nuncium hic per quem ipsi promittunt facere restitucionem damnorum datorum Regi et gentibus suis per Januenses et illos de Monacho, et volunt cavere in manibus proprie de servendo hoc. Et autem hoc unum dico quod Rex cognoscit, sicut videor intueri, fructuosum et utile Regno suo quod Januenses confundantur sintque deleti per secula seculorum. Amen.

Forma autem capitulorum per ipsum Vicecomitem notatorum est talis. Hec sunt capita tractatus incepti inter Dominum Regem Aragonum et Dominum Ducem et Comune Veneciарum.